

www.e-rara.ch

Sancti Gregorii Papæ I. Cognomento Magni Liber Regulæ Pastoralis

Gregor

Augustæ Vindelicorum, MDCCLVII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 93: f

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-54656>

[Caput. I. - XI.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SANCTI
GREGORII PAPÆ

(a) REGULÆ PASTORALIS

LIBER,

Ad

JOHANNEM Episcopum civitatis Ravennæ.

* * * * *

PRIMA PARS.

Reverendissimo & sanctissimo fratri Jo-
hanni Coepiscopo, Gregorius (b)

PASTORALIS curæ me pondera fugere de- Libri hu-
litescendo voluisse, benigna, frater jus scri-
carissime, atque humili intentione repre- bendi oc-
hendis; quæ ne quibusdam levia esse vi- casio,
dean-

(a) Ita Corb. Belvac. & alii vetust. Quem titu-
lum prætulimus, quod legatur in epist. olim 46. lib.
al. 4. nunc lib. 5. Epist. 49. ut *librum regulae pastora-*
lis, quem in Episcopatus mei exordio scripsi. In recen-
tioribus mss. legitur, *liber Curae Pastoral.* quibus
concinunt plur. edit. Occasionem huic titulo fortè
præbuit Libri exordium, *Pastoralis curæ me pondera.*
Etc. In Trec. titulus desideratur.

(b) Tertius Gemet. addit, *salutem.*

A

(a) Hæc

Ejusdem
divisio.

deantur, præsentis libri stylo exprimo de eorum gravedine omne quod penso: ut & hæc qui vacat, incauté non expetat; & qui incauté expetiit, adeptum se esse pertimescat. (a) Quadripartita vero disputatione liber iste distinguitur, ut ad lectoris sui animum ordinatis (b) allegationibus quasi quibusdam passibus gradiatur. Nam cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat; & bene vivens, qualiter doceat; & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat; (c) aut perventioni vita contradicat; aut vitam doctrina destituat; aut doctrinam præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium quod à non quærente suscipitur, vita commendet: ac deinde necesse est, ut Pastoris bonum

(a) Hæc editoribus persuaserunt librum hunc in 4. partes dividendum, quamvis hujus divisionis nulla in vet. mss. sint vestigia. Verùm Gregorius parte tertia cap. 26. admonitione 27. indicat quædam jam à se dicta in prima parte: *sicut*, inquit, *in priori hujus voluminis parte jam diximus*. Unde non in merito intelligitur partitionis libri hujus ipsum esse auctorem. Scribitur autem *quadripartita* in antiquissimis codd. Trec. Belyac. Gemet. Theodoric.

(b) Trec. Bellov. duo antiq. Carnot. *allegationibus*.

(c) Hæc deerant in Corb. sed addita sunt recentiori manu. In 1. Carnot. quoque non legitur, *aut vitam docty. destituat*. Illa repræsentant Trec. & alii.

(a) Corb.

bonum quod (a) vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, ut perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti (b) arbitri oculos tumor elationis extinguat. Sed quia sunt A quibus plerique mihi imperitiâ similes, qui dum onus ma- metiri se nesciunt, quæ non didicerint do- gisterii le- cere concupiscunt; qui pondus magisterii ve creda- tanto levius æstimant, quanto vim magni- tur. tudinis illius ignorant; ab ipso libri hujus reprehendantur exordio: ut quia indocti ac præcipientes doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipationis suæ aasibus in ipsa locutionis nostræ janua repellantur.

CAPUT PRIMUM.

(c) *Ne venire imperiti ad magisterium audeant.*

NULLA ars doceri præsumitur, nisi intenta priùs meditatione discatur. (d) Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regi-

(a) Corb. videndo.

(b) Laudun. & Trec. arbitris oculos.

(c) Hoc argumentum legitur in indice Trec. cod. nec tamen præmittitur capiti primo, quod absolute sic incipit: *Nulla ars.* Prima linea minio est depicta. In margine notatur I. & in reliquis cap. II. III. IV. &c. Qua in re huic inf. concinunt Gemeticenses.

(d) Corb. Laud. Longip. *Ab imper. ergo pastoribus magist. pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars &c.*

4
 Ars artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sed quia

Secul. potestatum erga Relig. Christianam reverentia. auctore Deo ad religionis reverentiam omne jam presentis seculi culmen inclinatur: sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris; videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque, atte-

stante Veritate, primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in

A Past. officio repellantur ambitiosi. conventibus cathedras quarunt: qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Quos contra Dominus per

Osee 8. 4. Prophetam queritur, dicens: *Ipsi regnarunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoravi.* Ex se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur.

Raptores sunt, Quos tamen internus iudex & provehit, & nescit: quia quos permittendo tolerat, profecto per iudicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam & post miracula venientibus dicit: *Recedite à me operarii*

Luc. 13. 27 *iniquitatis, nescio qui estis.* Pastorum imperitia voce Veritatis increpatur, cum per

Pro-

Prophetam dicitur: *Ipsi pastores ignoraverunt Isai 56. 11. intelligentiam.* Quos rursus Dominus detestatur, dicens: *Et tenentes legem nescierunt Jer. 2. 8. me.* Et nesciri ergo se ab eis Veritas queritur, & nescire se principatum nescientium protestatur: quia profectò hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum Pastorum sæpe imperitia meritis congruit subditorum; quia quamvis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant; districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis (a) ministerio denuntiat, dicens: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum illorum semper incurva. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt: quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur; quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò ad portanda peccatorum curvantur onera qui sequuntur.*

Dist. 38. c. Qui ea. I. Cor. 14. 38. Subditorum culpæ pastoris imperitia & vitia tribuantur.

Matth. 15. 14.

Pf. 68. 24. Qui in corpore Ecclesiæ sint oculi, qui dorsa.

CAPUT

(a) Duo priores Gemet. secundus Aud. Lyr. Rotomag. *mysteria.*

CAPUT II.

Ne locum regiminis subeant, qui vivendo non perficiunt quæ meditando didicerunt.

Pastores
quæ ver-
bis præ-
dicant,
moribus
non im-
pugnant.

ET sunt nonnulli, qui solerti cura spiri-
talia præcepta perscrutantur: sed quæ
(a) intelligendo penetrant, vivendo con-
culcant; repente docent quæ non opere,
sed meditatione didicerunt: & quod verbis
prædicant, moribus impugnant. Unde fit,
ut cum Pastor per abrupta graditur, ad præ-
cipitum grex sequatur. Hinc namque per
Prophetam Dominus contra contemtibilem
Pastorum scientiam queritur, dicens: *Cum*
Ezech. 34. v. 18. & 19 *ipsi limpidissimam aquam biberitis, (b) reliquam*
pedibus vestris turbabatis; & oves meæ qua con-
culcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; &
quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.
Aquam quippe limpidissimam Pastores bi-
bunt, cum fluenta veritatis rectè intelli-
gentes hauriunt. Sed eandem aquam pe-
dibus perturbare, est sanctæ meditationis
studia malè vivendo corrumpere. Aquam
scilicet eorum turbatam pedibus oves bi-
bunt, cum subjecti quique non sectantur
verba quæ audiunt, sed sola quæ (c) con-
spiciunt exempla pravitatis imitantur. Qui
cum

(a) Tertius Carnot. Rotomag. secundus Aud.
Lyr. Longip. Val-cl. *legendo*. Error forsitan irrepfit
ex modo scribendi veterum, qui dixerunt, *inrel-*
ligendo, ut est in Trec.

(b) Bellov. *reliqua*.

(c) Corb. *conspiciunt opera*.

cum dicta sitiunt, quia per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc quoque scriptum est per Prophetam : (a) *Laqueus ruinae populi mei, sacerdotes mali.* Hinc rursus de sacerdotibus Dominus per Prophetam dicit : *Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis.* Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverte agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus praesumit ; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quae ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, (b) expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Per molam quippe asinariam, secularis vitae circuitus ac labor exprimitur : & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit, vel exemplo ; melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent : quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni poena cruciaret.

Pro aqua
lutum non
propinent
Osee 5. 1.
& 9. 8.

Diff. 83. c.
Nemo
quippe.
Mali sacer-
dotes
quam nos
xii.

Matth. 18.
6.

Quanta
poena cru-
ciandi.

CAPUT

(a) In plur. codd. *causa ruinae.*
(b) Plerique Norm. *melius erat ei.*

CAPUT III.

*De pondere regiminis ; & quòd aduersa
quæque despicienda sunt , & prospera
formidanda.*

HÆc itaque breuiter diximus , ut quantum sit pondus regiminis monstraremus : ne temerare sacra regimina quisquis his impar est audeat , & per concupiscentiam culminis , ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim piè Jacobus prohibet , dicens :

Fac. 3. 1. Nolite plures magistri fieri , fratres mei. Hinc ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris , qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens , ante secula regnat in cælis. Scriptum quippe est : *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum , & facerent eum regem , (a) fugit iterum in montem ipse solus.* Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset , quàm is qui hos nimirum regeret , quos ipse creauerat ? Sed quia idcirco in carne venerat , ut non solum nos per passionem redimeret , verum etiam per conversationem doceret , exemplum se sequentibus præbens , rex fieri noluit , ad crucis verò patibulum sponte conuenit ; oblatam gloriam culminis fugit , pœnam probrosæ mortis appetiit : ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere,

Christus
prospera
fugere, ad-
uersaque
non time-
re nos
docuit,

(a) Primus Aud. & tres Gemet. *venerunt ut raperent eum , & constituerent regem sibi , quo cognito fugit iterum in montem ipse solus & abscondit se.* Alii Norm. quo cogn. *Jesus fugit & abscondit se.*

(a) Ita

fugere, terrores minimè timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In istis se animus erigit, in illis autem etiam si quando se erexerit, sternit. In istis sese homo obliviscitur, in illis verò ad sui memoriam nolens etiam coactusque revocatur. In istis sæpe & antea acta bona depereunt, in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur. Nam plerumque adversitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quòd si ad regiminis culmen eruperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerans fugerat, mox ut regni gubernacula suscepit, intumuit: honorari namque coram populo cupiens, dum reprehendi publicè noluit, ipsum qui (a) in regnum se unxerat, scidit. Sic David auctoris judicio pene in cunctis actibus placens, mox ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte (b) viri crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enerviter fluxus: & qui malis ante noverat piè parcere, in bonorum quoque necem post didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, & post cum damno desudantis exercitus etiam devotum militem extinxit. Quem profecto

Adversitatis magisterium utile; seculus prosperitatis.

1. Reg. 10.

22. & 15.

17.

1. Reg. 15.

30.

Act. 13. 22

2. Reg. 11

v. 3. &c.

Ibid. v. 15.

(a) Ita mss. pene omnes, aut *in regno*. Editi, *in regem*.

(b) Excusi pene omnes *Uria*, inquit mss, Anglic. & nostris.

fectò ab electorum numero culpa longiùs raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocassent.

CAPUT IV.

Quòd plerumque occupatio regiminis soliditatem dissipet mentis.

SÆpe suscepta cura regiminis, cor per diversa diverberat, & impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde (a) quidam sapiens providè prohibet, dicens: *Fili, ne in multis sint actus tui*: quia videlicet nequam plenè in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur: fit in exteriorum (b) dispositione sollicita, & sui solummodo ignara, scit multa cogitare, se nesciens. Nam cum plus quam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quò tendebat: ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret, & per quanta delinquat ignoret. Neque enim peccare se Ezechias credidit,

Eccli. 11.
10.

Mens multa cogitare scit, se nesciens.

4. Reg. 20.
13.

(a) Recent. vulgari, *admonet*, quibus contrarii sunt mss. Ceterum familiare est Gregorio Libri Ecclesiastici auctorem, *quemdam sapientem* appellare, ut patet ex lib. 7. Moral. num. 45. lib. 20. num. 51. lib. 27. num. 53. &c. Vide etiam infra secunda parte cap. 6. Eodem titulo designat scriptorem libri Sapientiæ passim. Vide lib. 19. num. 26.

(b) Primus Aud. *disputatione.*

didit, cum venientibus ad se alienigenis aromatum cellas ostendit: sed in damnationem securæ prolis ex eo iram iudicis pertulit, quod se facere licenter aestimavit. Sæpe dum multa suppetunt, dumque agi possunt, quæ subjecti quia acta sunt admirentur, in cogitatione se animus elevat, & plenè in se iram iudicis provocat, quamvis per iniqua foras opera non erumpat. Intus quippe est qui iudicat, intus quod iudicatur. Cùm ergo in corde delinquimus, latet homines quod apud nos agimus: sed tamen ipso iudice teste peccamus. Neque enim (a) rex Babylonie tunc reus de elatione extitit, cum ad elationis verba per-
Isai 39. 4.
Dan. 4. 16. &c.
Occulta elationis cogitatio reprobatione multata.
Ibid. 4. 27.

venit: quippe qui ore prophetico & ante cùm (b) ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratæ superbiæ jam ante deterferat, qui omnipotentem Deum quem se offendisse reperit, cunctis sub se gentibus prædicavit. Sed post hæc successu suæ potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se prætulit, & post adhuc tumidus dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quæ videlicet vox illius iræ vindictam apertè pertulit, (c) quam occulta elatio accen-

(a) In Trecensi, 1mo. Aud. & duobus priorib. Gernet. *Rex Babylonie successu suæ pot. omiſſis aliis.*

(b) Corb. *cùm ad elationem.*

(c) Carnot. 1mus. *quam tamen tacite elationis vocem ratiùs audivit, quia hanc feriendo protinus reprehendit.*
A quibus non multum discrepat secundi Carnot. & tertii Aud. lectio.

(a) In

Superbia
hominem
in belluam
vertit.

accendit. Nam districtus iudex prius invisibiliter vidit, quod postea publicè feriendo reprehendit. Unde & in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis mutata mente conjunxit: ut districto videlicet justoque iudicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines aestimasset. Hæc itaque proferentes, non potestatem reprehendimus, sed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus: ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant, & qui in planis (a) stantes titubant, in præcipiti pedem ponant.

CAPUT V.

De his qui in regiminis culmine prodesse exemplo virtutum possunt, sed quietem propriam sectando refugiunt.

NAM sunt nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione ceterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, auctoritatis fortitudine erecti, pietatis gratia benigni, justitiæ severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua
&

(a) In Corb. in planis titubant, omisso stantes, Legitur in Trec.

& non aliorum lucra cogitant, ipsi se, quæ ^{Periculum} privata habere appetunt, bonis privant. ^{eorum qui}
 Hinc namque ad discipulos Veritas dicit: ^{à Deo vo-}
Non potest civitas abscondi super montem posita: ^{cati ad}
neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub ^{animarum}
modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus ^{regimen,}
qui in domo sunt. Hinc Petro ait: (a) Si ^{venire re-}
mon Johannis, amas me? Qui cum se amare ^{nuunt.}
 protinus respondisset, audivit: *Si diligis* ^{Matth. 5.}
me, pasce oves meas. Si ergo dilectionis est ^{15.}
 testimonium cura pastionis: quisquis vir- ^{Johan. 15.}
 tutibus pollens gregem Dei renuit pascere, ^{16. 17.}
 pastorem summum convincitur non amare.
 Hinc Paulus dicit: *Si Christus pro omnibus* ^{2. Cor. 5.}
mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et (b) ^{15.}
si pro omnibus mortuus est, superest ut qui vi-
vunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis
mortuus est, & resurrexit. Hinc Moyses ait, ^{Deut. 25.}
 ut uxorem fratris sine filiis defuncti, super- ^{5.}
 stes frater accipiat, atque ad nomen fra-
 tris filios gignat: quam si accipere fortè
 renuerit, huic in faciem mulier expuat,
 unumque ei pedem propinquus discalciet,
 ejusque habitaculum (c) domum discalce-
 ati vocet. Frater quippe defunctus ille
 est, qui post resurrectionis gloriam appa-
 rens, dixit: *Ite, dicite fratribus meis.* Qui ^{Matth. 28.}
 quasi sine filiis obiit; quia adhuc electorum ^{10.}
 suorum numerum non implevit. Hujus
 scili-

(a) In pler. Norm. *Petre, amas me*, quod olim lectum in Trecentis.

(b) Abest particula *si*, à Corb. tribus Gemet. 2do Aud. & Lyr.

(c) Ita legere cogunt mss. omnes, licet in editis optimo sensu legatur, *domus discalceati vocetur*.

Ephes. 6.

15.

Propriæ
proximo-
rumque fa-
luti procu-
randæ in-
cumben-
dum.

scilicet uxorem superstes frater fortiri præcipitur : quia dignum profectò est, ut cura sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc bene regere prævalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier expuit : quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus vocetur. Scriptum quippe est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui verò suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt itaque nonnulli qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt. De quo si districtè judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum ?



CAPUT VI.

Quòd hi qui pondus regiminis per humilitatem fugiunt, tunc verè sunt humiles, quum divinis judiciis non reluctantur.

ET sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis quibus se imparès aestimant præferantur. Quorum profectò Humilitati pertinacia opponitur. humilitas, si ceteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superni nutus arbitrium ut debeat (a) præesse intelligit, & tamen præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus Dignitates ex corde fugiendæ, sed, licèt invitè, subeundæ. subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & aliis profit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.

CAPUT VII.

Quòd nonnumquam prædicationis officium, & nonnulli laudabiliter appetunt, & ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur.

QUamvis nonnumquam prædicationis officium & nonnulli laudabiliter appetunt, & ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur: quod liquidò cognoscimus, si du-

(a) Longip. prodesse, & tamen prodesse. Hic codex aliter capita dividit, quàm ceteri; ita ut cap. 7. sit attextum quinto.

fi duorum prophetantium facta pensamus, quorum unus ut ad prædicandum mitti debuisset sponte se præbuit, (a) quò tamen alter pergere cum pavore recusavit. Isaias quippe Domino quærenti quem mitteret, ultro se obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me.* Jeremias autem mittitur, & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non à diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor & proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias officium prædicationis appetit: per contemplativam verò Jeremias amori conditoris sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Ille ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia & is, qui recusavit, plenè non restitit; & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisque sacra (b) ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbè contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet

Isa. 6. 8.

Jerem. 1. 6.

Ex eodem fonte caritatis diversa fluunt.

Pastorale officium tutius de-

(a) Rotomag. & primus Aud. *quorum tamen.*

(b) Gemet. Aud. secundus, Lyr. tertius Carnot. Longip. mysteria.

(a) Car.

libet posse cognoscere, prædicationis of-
 ficiū tutius declinatur: nec tamen decli-
 nari, ut diximus, pertinaciter debet, cūm
 ad suscipiendum hoc superna voluntas agno-
 scitur. Quod Moyses utrumque miro
 opere explevit, qui præesse tantæ multi-
 tudini & noluit & obedivit. Superbus
 enim fortasse esset, si ducatum plebis in-
 numeræ sine trepidatione susciperet: &
 rursus superbus existeret, si auctoris im-
 perio obedire recusaret. Utrobique ergo
 humilis, utrobique subjectus, & præesse
 populis semetipsum metiendo noluit, &
 tamen de imperantis viribus præsumendo
 consensit. Hinc ergo, hinc quique præ-
 cipites colligant, cum quanta culpa ex ap-
 petitu proprio ceteris præferri non me-
 tuunt, si sancti viri plebium ducatum susci-
 pere Deo etiam jubente timuerunt. Moy-
 ses (a) suadente Domino trepidat: & in-
 firmus quisque ut honoris onus percipiat
 anhelat; & qui ad casum valde urgetur ex
 propriis, humerum libenter opprimendus
 ponderibus submittit alienis: quæ egit fer-
 re non valet, & auget quod portet.

clinatur,
 modò ab-
 fit perti-
 nacia.
 Etiam Deo
 jubente,
 non nisi
 cum for-
 midine
 suscipien-
 dum.
 Illud ap-
 perentium
 temeritas.

CAPUT VIII.

*De his qui præesse concupiscunt, & ad
 usum suæ libidinis instrumentum Apostolici
 sermonis arripiunt.*

PLerumque verò qui præesse concupis-
 cunt, ad usum suæ libidinis instrumen-
 tum

(a) Carnot. secundus, jubente.

tum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: qui tamen laudans desiderium, (a) in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit: *Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse*. Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. Et favet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto, ac si apertè dicat: Laudando quod quæritis, sed priùs discite quid quæritis: ne dum vosmetipsum metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quanto & à cunctis conspici in honoris arce festinat. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit: ut auditores suos & (b) descripto irreprehensibilitatis culmine restringat à superbia, & officium laudando quod quæritur, componat ad vitam. Quamvis notandum, quòd illo in tempore hoc dicitur, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Unde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc

1. Tim. 3. 1.

Ibid. v. 2.

Qui laudabile episcopatum desiderare.

Paulus animarum rector præstantissimus.

1. Tim.
3. 1.

(a) Aud. secundus, imperium vertit.

(b) Corb. Bellov. Carnot. secundus, districto. Alii, maximè Trecensis, descripto.

(a) Car-

hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed inanis gloriæ cupidus depingitur, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantiam exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerunt. Cumque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat.

CAPUT IX.

Quod mens præesse volentium plerumque sibi ficta bonorum operum promissione blanditur.

Sed plerumque hi qui (a) subire magistrum pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt: & quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna (b) pertractant: fitque ut aliud (c) in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat:

quæ

(a) Carnot. secundus, *sumere*, & Aud secundus, *temporale*, pro *pastorale*.

(b) Carnot. primus, *proponunt*.

(c) Aud. primus, *in intimis*.

quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cum quærit, audax cum pervenerit. (a) Tendens enim, ne non perveniat trepidat: sed repente perveniens, jure sibi hoc debitum ad quod pervenerit putat. Cumque percepti principatus officio perfrui seculariter cœperit, libenter obliviscitur quid quid religiosè cogitavit. Unde necesse est, ut cum cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur: ac penset quisque quid subjectus egerit, & repente cognoscit, si prælatus bona agere quæ proposuerit, possit: quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. Nescit laudem cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit cum deesset anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditur is, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex antea acta ergo vita se quisque inveniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Quamvis plerumque in occupatione regiminis (b) ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari rectè navem & imperitus dirigit; (c) turbato

Qui humi
jacens su-
perbit, ex-
altatus hu-
militatem
non pot-
est addif-
cere.

(a) Sic Corb. & alii mss. Gallic. Anglic. Norm. &c. Hic mutilus est codex Trecentis & usque ad cap. 15. *fit Rector discretus in silentio, &c.* Editi habent, *Timens enim*, errore manifesto in nullis vulgatis castigato.

(b) Aud. primus, *in se quoque.*

(c) Corb. & Carnot. primus, *turbatus*, prior cum Aud. Imo *turbatis.*

(a) Corb.

bato autem tempestatum fluctibus, etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis? In qua semper cogitationum procellis navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur: ut per repentinos excessus oris & operis quasi per obviantia saxa frangatur. Inter hæc itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat? Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudarium ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra, iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum pravi operis, Phariseorum more, ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat: qui juxta Magistrum vocem nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Cui considerandum quoque est, quia (a) cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus (b) opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

Quot in potestatis culmine tempestates.

Matth. 25. 18.

Matth. 23. 13.

Aliorum medicus non sit, qui in facie vulnus portat.

CAPUT

(a) Corb. Val-cl. Theod. Carnot. Norm. Longip. Laud. mss. duces sequimur, non excusos qui habent, cum curam.

(b) Excusi, in ejus corpore, contradicentibus mss. pene omnibus.

CAPUT X.

Qualis quisque ad regimen venire debeat.

Ille igitur, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per (a) contumeliam repugnat spiritus. Qui ad aliena (b) cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed numquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus lætatur. Qui ita se imitabilem ceteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu & experimento jam didicit, quod obtinere à Domino quæ poposcerit, possit, (c) cui per effectus vocem jam quasi specialiter dicitur:

(a) Maluerunt editores saltem recentiores, *contumaciam*, contra mss. fidem

(b) Gemet. faventibus Lyr. & Aud. 2do, *aliena capienda*.

(c) Sic mss. magno consensu. Editi, *cui prophetica voce jam*.
(a) Hic

citur: *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.*

(a) Si enim fortasse quis veniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, qui sibi iratus, nobis verò est incognitus, ducat, protinus respondemus: Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit: qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, qui utrum sibi sit placatus ignorat? Qua in re adhuc aliud est sollicitius formidandum, ne qui placare posse iram creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquidò novimus, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideriiis terrenis adstringitur, caveat ne districti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ.

Isai 58. 9.

Ad Deum intercessor non accedat, qui per culpam displicet.

Dist. 49. Initio & c. I.

CAPUT XI.

(b) *Qualis quisque ad regimen venire non debeat.*

Solenter ergo se quisque metiatur ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in

(a) Hic incipit caput undecimum in plur. editis. Dissentiunt codices manu exarati.

(b) Hoc caput pertinet adhuc ad septimum in Longip.

Lev. 21.

17.
Viti-
orum
fit ex-
pers.

Ibid. v. 18.

Perspicax
fit per
contem-
platio-
nem.

I. Reg. 2.

9.
Recto in-
cessu gra-
diatur.

Heb. 12.

12. & 13.

in se vitium damnabiliter regnat; ne is quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum, (a) Hinc etenim superna voce ad Moysen dicitur: *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Ubi & repente subjungitur: *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi & torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus.* Cæcus quippe est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat: qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, (b) quò gressus operis porrigat, nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur, *Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent.* Claudus verò est, qui quidem quò pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectè non valet tenere quam videt: quia ad virtutis statum (c) dum fluxa consuetudo non erigitur, quò desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc enim Paulus dicit: *Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem*

(a) Ad hæc verba inchoatur caput XI. in mss. Corb. duob. prior. Carnor. & tribus Gemet.

(b) Aud. primus, quò ingressus . . . ponere. Laud. quò gressum corporis.

(c) Editi, dum fluxa consuetudine, reluctanter mss. universis.

autem sanetur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fœtoresque discernimus. Rectè ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde & in laude sponsæ dicitur: *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano*; quia nimirum sancta Ecclesia quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plus quàm necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Unde hîc quoque subditur: *Vel grandi & torto naso*. Nasus enim grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plus quàm decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque à bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus verò est, quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne umquam ad superna respiciat: sed solis his quæ in infimis calcantur, intendat. Qui & si quando aliquid ex bono patriæ cælestis audierit, ad hoc nimirum perverse consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie Psal-

Discretio-
ne pol-
leat.

Cant. 7. 4.

A nimia
subtilitate
abstineat.

Terrenæ
sollicitu-
dinis
pondere
non de-
primatur.

Pfal. 38. *mista dicit: Incurvatus sum (a) & humiliatus*
8. sec. lxx. *sum usquequaque. Quorum culpam quoque*
Luc. 8. 14. *per semetipsam Veritas reprobans, ait:*
Semen autem quod in spinis cecidit, hi sunt qui
audierunt verbum, & à sollicitudinibus & divi-
tiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, &
non referunt fructum. Lippus verò est, cu-
Præ car- *jus quidem ingenium ad cognitionem veri-*
nalibus *tatis emicat, sed tamen hoc carnalia ope-*
operibus *ra obscurant. In lippis quippe oculis pu-*
non cali- *pillæ sanæ sunt, sed humore defluente (b)*
get. *infirmatæ palpebræ grossescunt; quorum,*
quia infusione crebrò atteruntur, etiam
acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli,
quorum sensum carnalis vitæ operatio fau-
ciat, qui videre recta subtiliter per inge-
niū poterant, sed usu pravorum actuum
caligant. Lippus itaque est, cujus sensum
natura exacuit; sed conversationis pravi-
tas confundit. Cui bene per Angelum
Apoc. 3. *dicitur: Collyrio inunge oculos tuos ut videas.*
18. *Collyrio quippe oculos ut videamus inun-*
ginus, cum ad cognoscendam veri lumi-
nis claritatem intellectus nostri aciem me-
Superbia *dicamine bonæ operationis adjuvamus. Al-*
non cæ- *buginem verò habet in oculo, qui veri-*
cutiat. *tatis lucem videre non finitur; quia arro-*
gantiam sapientiæ seu justitiæ cæcatur. Pu-
pillæ namque oculi nigra videt, albuginem
tole-

(a) Abest à Corb. & humiliatus sum.

(b) Hic in insl. mira varietas. In Laud. *infirmi-*
tates palpebræ. In duob. pr. Gemet. *infirmanti pal-*
pebra. In Corb. Bellov. Carnot. 2do, duob. Theod. *infirmantes palpebræ.* In priori Carn. & Aud. 1mo *infirmantia palpebra.*

(a) Ge.

tolerans nil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, à luce se supernæ (a) cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat: sicut de quibusdam dicitur: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. 1. 22. Jugem verò habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam rectè luxuria designatur: quia si cordis tentatio usque ad operationem profilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit; & foris jam corpus fauciat, quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana;* ac si aperte diceret: Humanum quidem est tentationem in corde perpeti, demoniacum verò est in tentationis certamine & in operatione superari. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritiâ vastatur in mente: quæ si in parvis non comescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati tædio excrescens membrorum decorem fœdat: quia & avaritia capti animum

Carnis
petulantia
non labo-
ret,

1. Cor. 10.
13.

nec avari-
ritiâ.

(a) Gemeticenses, *cogitationis.*

(a) Laud.

I. *Tim.* 6.

IO.

Turpibus
cogitationibus non
delectetur.

mum dum quasi delectat, exulcerat; dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur; & quasi totum corpus (a) exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ponderosus verò est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine modamine gravatur in mente: qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo (b) repugnationis stimulo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profectò cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens, pondus turpitudinis gestat (c) in corde: & quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente. Nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditi pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio (d) subigitur, panes
Domi-

(a) Laud. *exulcerat.*(b) Editi, *repugnationis obstaculo*; quod in nullis è nostris mss. legitur.(c) Carnot. primus & secundus Aud. *in corpore.*(d) Carnot. primus, *subjungitur.* Bellov. & alii, *subigitur.*

Domino offerre prohibetur: ne profectò diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria (a) devastant. Quia igitur paucis ad pastorale magisterium dignus qualiter veniat, atque hoc indignus qualiter pertimescat ostendimus: nunc is qui ad illud dignè pervenerit, in eo qualiter vivere debeat demonstramus.

SE-

(a) Hic absolvitur caput in Longip.



(a) Titu-